

Analecta critica.

1. Sueton. vit. Tiber. c. 29.

'Dixi et nunc et saepe alias P. C. bonum et salutarem principem, quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis,

Senatui servire debere et universis civibus saepe, et plerumque etiam singulis?.

Tiberii ad Senatam sunt verba, civilitatis speciem affectantis. At ut omnia bene convenient, corrigendum: 'senatui *semper* servire debere'. Nam sic demum consummatum subdoli animi artificium deprehenditur, restituta simul gradatione inversa.

## 2. Curtius Rufus L. IV. c. 9. (38.)

'Rex monere, ut satis haberent arma retinere, cetera se redditurum: sed neque consilium, neque imperium accipi poterat: obstrepebat hinc metus, praeter hunc invicem *nutantium* mutuus clamor'.

Militum Alexandrinorum laborem, cum Tigrin traiciunt, Curtius describit, sed neque *nutantium*, quod Mützellius (in editione altera) frustra conatus est explicare, neque *natantium* convenit. Legas: 'praeter hunc invicem *hortantium* mutuus clamor' et conferas similem descriptionem apud Tacit. Annal. L. I. c. 70: 'Non vox et mutui hortatus iuvabant, adversante unda: nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab imprudenti, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur'.

## 3. Tacitus Ann. L. I. c. 15.

'Inter quae tribuni plebei petivere, ut proprio sumtu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur: sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum: mox celebratio *annuum* ad praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset'.

Coniiciunt *annuum* vel *annua*, quorum neutrum ferri potest. Mihi quidem scribendum videtur: 'Mox celebratio *agonum* ad praetorem translata'. Nam tale quid instituta sententia flagitat, et vocabulum agonis non alienum ab horum scriptorum usu; vid. Sueton. vit. Neron. c. 21: 'Cum magni aestimaret cantare, etiam Romae Neroneum agona ante praestitutam diem revocavit.' Cf. ibid. c. 22 et 23. Plin. Ep. IV. 22: „Gymnicus agone apud Viennenses ex cuiusdam testa-

mento celebrabatur'. X. 79: 'Instituendos quinquennales agonas, qui Traiani appellentur'.

4. Tacit. Annal. L. III. c. 37.

'Utrumque in laudem Drusi trahebatur, ab eo in urbe inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari. Neque luxus in iuvene displicebat: huc potius intenderet, diem *aedificationibus*, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus moestam vigiliam et malas curas exerceret'.

Locum vario modo tentatum sic censeo corrigendum: 'diem *daret factionibus*, noctem conviviis traheret'. Quae bene congruunt cum iis, quae de Drusi moribus Dio Cassius refert LVII. c. 14: Τῆ ὄργῃ οὕτω χαλεπῇ ἐχρῆτο, ὥστε καὶ πληγὰς ἰππεῖ ἐπιφανεῖ δοῦναι καὶ διὰ τοῦτο καὶ Κάστωρ ἐπωνύμιον λαβεῖν· τῇ τε μέθῃ κατακορῆς οὕτως ἐγίνετο, ὥστε ποτὲ νυκτὸς ἐμπροσθεῖσι τισιν ἐπικουρῆσαι μετὰ τῶν δορυφόρων ἀναγκασθεῖς, ὕδωρ αὐτῶν αἰτούντων, θερμὸν σφισιν ἐγγεῖαι κελεῦσαι· τοῖς τε ὀρχησταῖς οὕτω προσέκειτο, ὥστε καὶ στασιάζειν αὐτούς, καὶ μηδ' ὑπὸ τῶν νόμων, οὓς ὁ Τιβέριος ἐπ' αὐτοῖς ἐνενηρόχει, καθίστασθαι. Adde ipsum Tacitum L. I. c. 76: 'Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quanquam vili sanguine nimis gaudens.'

5. Cornelius Nepos vit. Alcib. c. 3.

'Posteaquam robustior est factus, non minus multos amavit, in quorum amore, quoad licitum est, *odiosa* multa delicate iocoseque fecit, quae referremus, nisi maiora potioraque haberemus'.

Parum verisimile est, Nepotem impotentem Alcibiadis superbiam speciosa hac oratione excusavisse, atque nonnulli codices *odiose* exhibent. Corrigendum videtur: '*Odiose multa*, multa delicate iocoseque fecit'; quae a rei veritate non recedunt. Geminavi adiect. *multa*: nam quamvis brachylogiae usus et Graecis et Latinis non sit infrequens, ta-

men si semel hic scripseris multa, duriuscula foret oratio. Verba autem, 'quoad licitum est' significant: *quamdiu vixit*.

6. Cornelius Nepos vit. Attici c. 3.

'Quamdiu adfuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi et *Phidiae* locis sanctissimis posuerunt: hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant'.

De *Phidia* principe Atheniensium nihil omnino compertum habemus. Nisi prorsus fallor, scribendum: 'ipsi et *Midiae*'. *Midiam* enim, Romanis rebus faventem et ob id ipsum ab *Aristione* patria expulsum, qui deinde una cum *Calliphonte* a *Sulla* impetravit, ut urbe expugnata victis tandem aliquando parceretur, consentaneum est in civitate, quemadmodum *Sulla* conformaverat, principem obtinuisse locum. Conferas de hoc *Midia* *Plutarchum* vit. *Sull.* c. 14: 'Ἀλλὰ γὰρ τοῦτο μὲν *Μειδίου* καὶ *Καλλιφῶντος* τῶν φρυγᾶδων, δεομένων καὶ προκλυιδουμένων αὐτοῦ, τοῦτο δὲ τῶν συγκλητικῶν, ὅσοι συνεστράτευον, ἐξαιτουμένων τὴν πόλιν, αὐτὸς τε μεστὸς ὧν ἤδη τιμωρίας, ἐγκώμιόν τι τῶν παλαιῶν Ἀθηναίων ἐπειπῶν, ἔφη, χαρίζεσθαι πολλοὺς μὲν ὀλίγοις, ζῶντας δὲ τεθνηκόσιν; ubi scribendum πολλοῖς μὲν ὀλίγους. — Sed etiam quae sequuntur apud *Nepotem* corrupta sunt:

'Igitur primum illud munus fortunae quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet et domum: hoc specimen prudentiae, quod quum in eam se civitatem contulisset, quae antiquitate, humanitate, doctrina praestaret omnes, unus ei ante alios fuit carissimus'.

Apparet *Atticum* fortunatum dici, quod *Romae* natus sit, prudentem, quod *Athenis* vixerit: haec enim ei fuit altera quasi patria: nullo igitur pacto ad *Romam* referri possunt verba: *ut eandem et patriam haberet et domum*: nam hoc iudicii erat. Quare haec verba sic videntur transponenda esse: hoc specimen prudentiae, quod quum in eam se civitatem

contulisset, quae — praestaret omnes, unus ei ante alios fuit carissimus, *ut eandem et patriam haberet et domum.*“

7. Virgilius Cir. v. 92:

Quare quae cantus meditante mittere certos  
Magna mihi cupido tribuistis praemia, Divae  
Pierides: quarum castos *altaria* postes  
Munere saepe meo inficiunt, foribusque hyacinthi  
Deponunt flores.

Pro *certos* cum codd. *cocos* vel *coecos* exhibeant, *doctos* scribendum puto. Deinde *altaria* corruptum esse manifestum est: sed qui nuper *calparia* Festi usus glossa coniecit, a vero longissime aberravit. Nam ut nihil dicam de opico et invenusto vocabulo, (dolia enim, non pateras significat), vinum Musis libari parum est probabile: sobriis enim gaudent hae deae sacris, vide Polemonem ap. Schol. Soph. Oedip. Col. v. 100: Ἀθηναῖοί τε γὰρ ἐν τοῖς τοιοῦτοις ἐπιμελεῖς ὄντες καὶ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὄσιοι, νηφάλια μὲν ἱερὰ θύουσι Μνημοσύνη, Μούσαις, Ἥοϊ, Ἥλιῳ, Σελήνῃ, Νύμφαις, Ἀφροδίτῃ Οὐρανίᾳ. Equidem emendandum esse arbitror:

quarum castos *alabastria* postes

Munere saepe meo inficiunt.

Apte enim postes sacelli coronis simul et unguentis decorantur; conf. C. Fr. Hermannii Antiquitat. Sacr. §. 24. 16.

Theodorus Bergk.